DE

A B O R T U.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA;

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI,

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES RITE SIBI CONCEDANTUR,

DIE IX. M. DECEMBRIS A. MDCCCXXIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GEORGIUS CHRIST. MEINHARD

SOLTWEDELIENSIS-PALAEOMARCHICUS.

OPPONENTIBUS:

C. THALHEIM, MED. DR.

C. FISCHER, MED. DD.

E. GABLER, MED. CAND.

FORMIS BRÜSCHCKIANIS.

V I R O

ILLUSTRISSIMO DOCTISSIMO LONGEQUE

EXPERIENTISSIMO

J. LUD. DIET. BUSCH

UTRIUSQUE MEDICINAE DOCTORI, POTENTISSIMO BORUSSORUM REGI IN REBUS MEDICIS A CONSILIIS, SOLTWEDELII, URBIS PALAEOMARCHIAE, PHYSICO ET MEDICO PRACTICO.

FAUTORI ET PATRONO SUO SUMMOPERE COLENDO

PERINDE AC

MANIBUS PATRIS OPTIMI BEATI

SUMMA VENERATIONE ET PIA MENTE

HASCE

LITTERARUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

Praefamen.

Quicunque artis salutaris cultor, absolutis studiis, summis in medicina ac chirurgia honoribus exornari et talis haberi concupiscit, qui quantum fieri potuit, tempus praeterlapsum in eo collocavit, ut praesidia, morbis curandis idonea sibi compararet, mori a maioribus tradito satisfaciat, ac dissertaionem publice defendendam, super argumento ex medicina deprompto conscribat, necesse est. Huic legi satisfacturus, morbum mihi desumsi exus feminini, nempe abortum. — Artem obsteriçiam vero longe saluberrimam esse, nemo est,

qui nesciat; at vero ii etiam de generis humani salute egregie merentur, qui gravidarum et puerperarum regimen ita componere student, ut praecepta, tam rationi quam experientiae consentanea, in medium proferant, et quidnam utilitatis ex iis percipi possit, edoceant. Quod ad me pertinet, non tanta est eruditionis fiducia, ut, novam lucem novaque incrementa illi disciplinae per me adiici posse, existimem. Verumtamen operam meam non omni fructu vocaturam, arbitror, quod singula magisque diffusa, quae de argumento nostro auctores tradiderunt, coegerim, et, quantum per me licuit, aestimaverim. Lectores igitur benevoli hoc opusculum iudicio submissuri, eundem, quaeso, intueantur scopum, quem in conscribendis pagellis persecutus sum.

§. I.

Introductio.

Uti omnis femella, ita mulier post conceptionem per certum temporis intervallum uterum gerit, illoque praeterlapso, maturum expellit foetum, qui propria vita tum vigere incipit. Incidit autem criticus iste terminus ex sueto naturae ordine sub decimi post conceptionem mensis lunaris finem, i. e. sub tricesimam septimam ad quadragesimam usque hebdomadem. Talis partus maturus nominari consuevit. De causis huiusce catastrophes determinatae et subitae multifariam disputarunt physiologi. Omnibus tamen pensitatis, causa, partum faciens, ad aeternam naturae legem referenda videtur, cuius quidem ratio hactenus non magis dilucidari potuit, quam tot alia

id generis naturae phaenomena periodica, e. g. annuae vices, fructuum mâturitas fere sponte sua ab arbore delabentium, metamorphosis insectorum, decursus stadiorum in febribus exanthematicis, crises etc.

Ante graviditatem, viribus vitalibus in utero non ad polos diversos dispositis, vis contractionis, per totam eius substantiam aequabiliter diffusa, praevalet. Inter duodecimum tandem ac decimum octavum circiter aetatis annum uterus ad vitam excitatur animalem, eumque adducit statum, quem pubertatis nomine insigniri scimus. Tunc primum mutua uteri actio et in reliquas partes genitales et in totum exseritur organismum, cui novum quasi organon inseritur. Summus vero gradus vitae partium genitalium muliebrium tempore conceptionis, graviditatis denique partus cernitur. Cum ipsa foecundatione expansio invalescit, quae primo fundum uteri, dein, per maiores acta circuitus, totum corpus tandemque etiam collum uteri adgreditur. Contractio ad polum oppositum, ad collum uteri repulsa, in ultimum colli punctum repressa, subito et quasi uno ictu ad fundum transilit eodemque momento partum incipientem designat. Contractio nunc maxima

in fundo, expansio in collo uteri est. Contractio magis magisque augescens, a fundo ad corpus uteri propagata, semper brevioribus recurrens intervallis, longius tempus perdurat internoque vigore ad partum usque absolutum intenditur. — Supervacuum mihi videtur, plura de hac re commemorare, etenim lectorum animos ad ea, quae Beat. Reil 1) disseruit, attendere satius duco. Quam ob rem ad pensum redimus nostrum.

Omnem partum, prius, quam supra memoravi, incidentem „partum immaturum" sensu latiori voco, quem in tres partes diduco, pro vario, quo partus immaturus occurrit, tempore, nempe:

a. in abortum, a conceptionis momento usque ad mensis tertii s. ad hebdomadis duodecimae finem,

b. in partum immaturum stricte sic dictum, ab initio mensis quarti usque ad mensis septimi s. ad hebdomadis vicesimae octavae finem, et

c. in partum praematurum, ab initio men-

1) v. Reil Archiv f. d. Physiologie Bd. VII p. 541.

sis octavi usque ad hebdomadem tricesimam septimam graviditatis apparentem.

Graeci scriptores pro temporis varietate ovi et foetus egressum ἐκβολή et ἐκτρώμα discreverunt. Ἐκβολή est eiectio foetus nondum formati sub forma ovi, intra sex primas graviditatis hebdomades eveniens, quale in Hippocratis scriptis reperitur exemplum; ἐκτρώμα autem est exclusio foetus mortui iam constituti ad hebdomadem usque decimam sextam graviditatis. — Aristoteles 2) ἐκθρωσμους vocandos putat illos foetus, a die conceptionis quadragesimo expulsos; illos autem, qui primis diebus usque ad septimum prodeunt, ἐκρύσεις i. e. effluxiones nominat. —

Equidem per abortum intelligendum esse, iudico, uti iam supra memoravi, foetum tribus primis graviditatis mensibus exclusum, quo tempore eius organa tam imperfecta sunt, ut foetus, plerumque adhuc membranis suis investitus, a matre seiunctus, nullo modo vitam degere possit. — Exstant quidem exempla, quae contestari videntur, foetus duorum mensium vivos ex utero

---

2) v. Aristotelis hist. anim. VII. c. III.

editos fuisse, an autem vitam continuandi habuerint facultatem, iure meritoque dubitari posse persuasum habeo. E multis unum liceat commemorare exemplum: Mauriceo 3) quod vix credibile, de femina quadam tradit, quae infantem duorum mensium, longitudinem digiti adaequantem adeoque vigentem ediderit, ut a sacerdote quodam praesenti aquis perfunderetur sacris. —

§. II.

A e t i o l o g i a.

Memoratu dignissimum illud mihi videtur, quod partus immaturi potissimumque abortus multo saepius apud homines quam reliqua occurrunt animalia. Quod phaenomenon duae illustrant causae sequentes: nempe primum gressus erectus hominis, quo cetera animalia omnia carent, tum profluvium periodicum menstruorum, graviditatis tempore ita turbatum, ut facillime, inprimis si mulier praegnans insigni pollet sensibilitate, mutationes efficiantur morbosae, foetusque eiectio promoveatur.

---

3) Mauriceau observationes.

Quod causam attinet proximam, permulti scriptorum nullam eius mentionem fecerunt. — Frid. Hoffmannus 4) „quando, inquit, orificia vasorum uteri, ex quibus succus nutritionis a villosa placentae substantia recipitur, sanguinis copiosi impetu nimis distenduntur et aperiuntur, fit abortus, qui est contractio uteri convulsiva, foetum eiiciens." —

Fahner 5) de causa proxima haec habet: „Omnia, quae uterum distentum ita irritare valent, ut satis fortiter contrahatur ad foetus eiectionem, abortus causa proxima sunt." —

Schurig 6) circa causam proximam haec tradit: „Abortus causa proxima latet in utero ipso, quando nimirum ob praeternaturalem ipsius coarctationem, vel etiam nimiam laxationem foetum diutius retinere non potest." Huic sententiae et ego adstipulor.

Priusquam ad ceteras transeam innumerabiles causas, primum annotandum mihi videtur, partus immaturos ac inprimis abortus epidemicos

---

4) v. Frid. Hoffm. Med. rat. syst. Tom. I.
5) v. Stark Archiv f. Geburtshülfe B. I.
6) v. Schurig Embryologia.

interdum observari. Frigus acre, praecipue vero pluvia tempestas, frigore coniuncta, nec minus aestus molestus atque urgens, coeli tumultus frequentes, tum miseria, calamitates, timor, fames et angor, bellorum turbae et oppidorum obsidiones causis interponenda sunt, abortui epidemico praesertim faventibus. Nec minus per experientiam compertum habemus, eo tempore, quo morbi alii asthenici acuti e. g. typhus imperant, partus immaturos atque abortus epidemicos etiam grassari 7).

Illustrissimus de Siebold 8) observationibus edoctus, asseverat, annis, quibus fruges intempestivam maturitatem nanciscerentur, et abortum epidemicum quasi occurrere. Argumenti loco anni millesimi octingentesimi undecimi aestatem memorat, qua plurimi fructus, poma, uvae et frumenta praecociter maturescebant, imo etiam pulli ex gallinarum ovis, tempore legitimo nondum praeterito, excludebantur. Aestate modo dicta abortus etiam frequentissimi animadvertebantur.

---

7) v. Froriep Handb. d. Geburtshülfe.

8) v. v. Siebold Handb. z. Erkenntn. u. Heil. d. Frauenzimmerkrankh. Bd. 2.

Ad causas praedisponentes partus immaturi sensu latiori, expulsio ovi seu foetus pertinet, vel semel vel saepius facta, priusquam tempus legitimum praeterlapsum instaret. Constat enim, mulierem, abortum tertio mense passam, eodem alterius gravididatis tempore, aut circa eandem gestationis hebdomadem facillime foetum absque ulla causa praegressa posse protrudere. Qui casus cum aliis morbis periodicis, e. g. cum epilepsia aut cum febre intermittente, certo etiam tempore redeuntibus, est comparandus. Causam huius phaenomeni morbosi non solum in vitiis invenies uteri organicis, v. g. in ulceribus, in cicatricibus in eius ambitu interno, in reliquiis ovi membranarumque, sed in eius consuetudine, hoc tempore certo sese contrahendi.

Alia causa est sensibilitas aucta systematis nervosi, qua contractiones uteri effici possunt repentinae. — Prae ceteris causis plethora totius corporis ac inprimis partium genitalium, cum debilitate coniuncta nervosa, vim uteri vitalem ante tempus a natura constitutum, excitans. —

Circa habitum gravidae ac eius constitutionem inprimis est dispiciendum, nam mulieres laxae, debiles, texturae mollis teneraeque, habitus

delicati et corporis subtilioris ad abortum inveniuntur propensiores, quod prae ceteris de nobilioribus valet feminis, vix corpus exercentibus sedentariamque per graviditatis periodos vitam agentibus. — Iam Hippocrates 9) de his ita ait: „Quae praeter naturam tenues abortiunt, utero non gerunt priusquam crassescant." Nec minus iure merito Fridr. Hoffmannus feminas subtilioris corporis, naturae imbecillioris ac sensibilioris, pathematibus hystericis obnoxias, longe ad abortum faciliores ac opportuniores esse, quam feminas musculosas duriori fibrarum compage donatas, robustiores, plebeias, arbitratus est. — En! quantus est earum numerus, quotannis abortientium, quam exiguus vero rusticarum, laborioso vitae generi indulgentium!

Causae aliae huc pertinentes sunt: conceptio, eo tempore orta, quo vel menses fluunt vel paullo ante fluxerunt; porro conceptio inter fluxum lochialem, vel menses inter graviditatem, inprimis sub eius initiis copiosius provenientes, quippe quibus facillime ovum seu foetus eluitur. —

---

9) v. Hippocratis aphorism. sectio V. 43.

Causae etiam in systema sanguiferum efficaces, huc referantur, necesse est. Istiusmodi esse videntur causae, vim vitalem huius systematis praeter modum augentes, e. g. fructus potusque stimulantes, excitantes, quales sunt vinum, spiritus vini, coffeae infusum concentratae; nec minus remedia, sanguinem ad uteri vasa compellentia mensiumque fluxum inducentia, anthelmintica, emetica, drastica, diuretica, uti sabina, myrrha aloe, resina ialappae, colocynthides, scammonium, cantharides, balnea, inprimis pediluvia calida, batilli suppositi, clysmata excitantia, venena. — Quod purgantia antiplastica attinet, praecipue mercurius dulcis est nominandus, cuius vim, abortum facientem nuper in nosocomio berolinensi ipse vidi. Feminae nempe, herpete laboranti inveterato, plures mercurii dulcis portiones porrigebantur, et aegrota, granis viginti acceptis, abortum passa est.

Porro alia consideranda veniunt, e. g. animi pathemata, cum laetiora, tum tristiora, totum corpus afficientia, debilitantia, ut laetitia, moeror, timor, ira, pudor; porro omnes motus vehementiores matris, ut cursus, vectura per loca aspera et salebrosa, equitatio, saltatio. Iam Hippocrates olim

docuit, mulieres ob saltus abortui obnoxias esse, atque eiusce rei quidem celebre exemplum attulit in gravida quadam cantrice, quae parum saliendo immaturum foetum deiecit. —

Quibus causis et aliae adnumerandae sunt, v. g. clamores, ponderum elevatio et gestatio, nimiae alvum deiiciendi contentiones, singultus, sternutatio crebra, vomitus, luctatio, tussis, convulsiones, percussiones ventris aut casus in terram aut ventris infimi plagae atque omnia, quae eius musculos offendunt; dein irritationes uteri immisso digito, onania tandemque velamentorum ovi ruptura. Et ille mos italicarum mulierum, odio dignissimus, instrumento peculiari, embryosphactis nomen gerente, aut ope cuspidis foetum in utero necandi! Quin etiam, Don Felix d'Azara, auctor hispanicus 10), morem quendam non minus ridiculosum quam terribilem mulierum Paraguanarum describit, quae praegnantes abdomen aliorum manibus eo usque pulsari curant, donec sanguinis profluvium et cum hoc obortus movea-

10) v. Don Felix d'Azara voyages dans l'Amériqne méridionale dépuis 1782 iusqu'en 1801, Chap. 10. p. 100.

tur. Mulierculas nostras Deo O. M. gratias habere oportet, quod funestus ille mos nobis perhorrescatur. —

Praeterea culpari merentur: inflammationes topicae e. g. phrenitis, peripneumonia, enteritis, peritonitis, nephritis, cystitis ac prae cereris metritis. — Et morbi alii, gravidam invadentes, ansam praebere possunt ad abortum; huc spectant omnes febres, (Hippocrat. 11) vires matris exhaurientes, febres inflammatoriae, synocha, typhus, febris intermittens, febris gastrica, biliosa, dysenteria, diarrhoea profusa. (Hippocrat. 12) — Itidem huc pertinent morbi nonnulli chronici atque vitia fabricae, vel partium genitalium vel pelvis e. g. morbus ille nervos totumque corpus concutiens: epilepsia; porro helminthiasis, lues venerea, fluor albus, hysteria, hydrops, polypi, scirrhus, carci-

---

11) v. Hippocratis aphorism. sect. V. 55.
„Quae utero gerentes febribus corripiuntur et valde extenuantur citra manifestam causam, eae difficulter et cum periculo pariunt, aut abortum facientes, periclitantur."

12) v. Hippocratis Aphorism. sect. V. 35. „Mulieri utero gerenti, si alvus multum profluat, abortionis periculum est."

noma uteri, calculi vesicales ac renales eximiae magnitudinis pelvisque deformis e. g. pelvis vel iusto amplior vel angustior. —

Iam causa sequitur altera, sane frequentissima nec non ad abortum concitandum opportunissima, nempe immodicus veneris amor. Circumspicias, quaeso, mulierculas illas libidinosas, maris avidissimas, nonne facta conceptione saepissime absque ulla causa manifesta abortiunt? nonne ratio in eo quaerenda est, quod uterque lascivus venerique deditus coniux coitu exsatiari non potest? — Neque dubitandum est, utero in imam delapso pelvim, cum coitu primis graviditatis mensibus plus periculi esse coniunctum et hoc ipso tempore abortus obvenire frequentiores. Quod cum naturae institutione in propagandis plantis congruit: etenim florescentes arbores longe plures fructuum recentium, quam maturitatis tempore amittere videmus.

Ad causas gravissimas numerari quoque oportet venaesectionem praeter necessitatem in gravida institutam. Iam Hippocrates 13) ita locutus est: Mulier utero gerens vena secta abortit, idque po-

---

13) v. Hippocratis aphorism.

tissimum, si foetus grandior fuerit. Haec operatio sequentibus fere sub conditionibus tantum administranda est: nempe, si mater gravida vel febre correpta inflammatoria, vel iuflammatione topica, vel si plethora universalis aut localis est permagna. In omnibus aliis casibus multum consilii et circumspectionis adhibendum est, priusquam vena incidatur. Fingamus, quovis mensium profluvio septem circiter uncias sanguinis deperdi; his addamus omnem copiam sanguinis tempore graviditatis ob menses suppressos in corpore remanentis cum foetus maturi partiumque ei adhaerentium pondere: quo facto patebit, foetum suo pondere sanguinis copiam longe excedere. Quibus omnibus rite perpensis, satis elucet, corpus muliebre gravidum copia sanguinis multo maiori indigere, quam non gravidum, missionemque sanguinis summa cum observatione atque prudentia instituendam esse.

Iam supra memoratum est, deformitates pelvis, inprimis pelvim iusto ampliorem causam esse abortus. Ex qua re iterum deformitates oriuntur uteri seu flexiones, nempe versio uteri. Quae flexiones, praecipue primis mensibus tribus ac triplici modo obviae, pro vario uteri situ variant,

nam fundus uteri vel antrorsum vergit „anteversio“ vel retrorsum „retroversio“ vel fundus ad unum vel ad alterum spectat latus. Inprimis vero retroversio evenit, in qua, uteri fundo vel sensim vel subito in ossis sacri superficiem demisso concavam, orificio uteri autem versus symphysin ossium pubis ita emerso, ut vix aut nequaquam digito possis explorare; per anum scrutanti tumor prominens in recto animadvertitur. Hinc evenit, ut, cum uteri substantia flectatur, sanguinis circulationi impedimentum obiiciatur, uterus simulque foetus valde prematur, metritis atque abortus originem capiant. Obstructio alvi ac retentio urinae ex pressu uteri ad rectum et vesicam urinariam plerumque proficiscuntur, quibus diutius persistentibus, enteritis et cysticis prodire possunt. —

Alia abortus causa inversio uteri est, duplici modo occurrens, vel inversio perfecta vel imperfecta. Superficies uteri interna, minus magisve, ut iam denominatio illius status vitiosi indicat, est inversa ac in externam mutata. Saepius etiam inversio simul est coniuncta cum prolapsu uteri (prolapsus uteri cum inversione). — Pelvis iusto amplior, relaxatio ligamentorum uteri, polypi eius

magni, ponderosi, pulsatio atque pressio imi ventris, vomitus, constrictio pectoris thorace linteo, vel abdominis ope fasciarum, debilitas et atonia fibrarum uteri, causae inversionis atque prolapsus sunt habendae. —

Ad causas vero obortus palmarias gravissimasque haemorrhagia uteri est numeranda, de qua paullo uberius iam locuturus sum. Iam supra memoravimus detrimentum, quod matri prolique e venaesectione, praeter necessitatem in praegnantibus instituta, inferatur. Detrimentum augeatur, necesse est, cum in organo, ad gestationem nutritionemque fructus destinato, haemorrhagia oriatur, ad quam compescendam frustra enitimur. Uterus vero, sanguine, quo ad suam ipsius expansionem foetusque nutritionem indiget, amisso, constringitur abortusque sequitur. —

Variant haemorrhagiae uteri et tempore, quo contingunt, et cruoris copia, quae excernitur, et effectu, qui easdem sequitur; variant etiam causae, a quibus nascuntur, quare duplicem ordinem profluviorum uteri gravidi sanguineorum bene distinguimus, unum intra sanitatis limites, alterum extra eos occurrentem. Interdum enim inter graviditatem menses etiam fluunt, nec gravi-

ditas eo periclitatur. Si vero sanguinis copia permagna est, facillime in periculum vertitur, quod iam Hippocrates 14) confirmat, quippe qui, „si mulieri, — inquit, — utero gerenti, purgationes multae eant, foetus ut bene valeat, fieri non potest.“ — Damnifera haecce haemorrhagia inprimis e vasorum ruptura, sanguinem ab utero ad placentam foetalem ducentium, oritur. Accedit ut plurimum inter primos graviditatis menses, quo tempore typus menstruus summi est momenti, quoad systema genitale.

Dispositionem quandam ad provocanda illa profluvia efficacem sese praestare, maxime eo probatur, quod multas videmus gravidas, vehementissimis externis iniuriis afflictas, nequaquam haemorrhagiis uteri opprimi, in aliis contra levissima de causa haemorrhagias subnasci. 15) — Dispositio haereditaria saepius procreat metrorrhagias, nam in nonnullis familiis mater, avia et abavia eodem laboravere malo. Auctore Hippocrate iis mulierculis dispositio talis inest, quae, novam conceptionem expertae, ab infantis lacta-

---

14) v. Hippocratis aphor. sect. V. aph. 60.
15) v. v. Siebold. l. c.

tione haud abstinent. — Causae aliae sunt: constitutio valida, robusta, plethora vera, et ab altera parte debilitas universalis, rigiditas uteri, pubertas minus rite absoluta, aut graviditas, corpore iam senescente, exorta, vitia uteri organica, polypi, scirrhi, tumores, sarcomata; porro placentae ab utero separatio, iniuriaeque externae praegnanti allatae, laesiones uteri, externis inductae violentiis, ut ictus, lapsus, percussio electrica. In mulieribus etiam, venere aut fluore albo debilitatis, tum in primiparis facillime haemorrhagia uteri oritur. — Periculosissima fere omnium est metrorrhagia occulta, difficilior cognitu, qua sanguis nullus effunditur sed in uteri cavo retinetur. At vero haec etiam dignoscitur e grata caloris sensatione et ponderis in regione uteri, ex intumescentia et manifesta ventris inflatione, ut uterus neutiquam globi solidioris instar supra pubis ossa sentiatur, porro e symptomatibus, plerumque gradum debilitatis magnum comitantibus, e colore vultus pallido, e iactura virium et vocis, e labiorum tremore oculorumque languore, e sudore frigido circa frontem, e gemitu ac oscitatione, e pulsuum exilitate, e partium extremarum frigore, denique ex animi deliquio. —

Causae abortum facientes, non solum in matre, sed etiam in foetu ipso, in placenta et funiculo umbilicali quaerendae sunt. Huc omnes morbi, foetum in utero adgredientes, referri possunt, v. g. hydrops cerebri, pectoris et abdominis, 16) defectus cerebri, ossium capitis, liquoris amnii et funiculi umbilicalis; porro contorsiones nodique funiculo umbilicali innexi; tum etiam convulsiones, polypi cordis, foetus grandiores, monstrosi, contra naturae ordinem positi, aut numero plures, e. g. gemelli iisdem ovi membranis circumclusi, tumores placentae, placenta crassior, indurata, praevia seu collo uteri affixa atque membranae ovi crassiores.

§. III.

Signa abortus imminentis s. prodromi.

Partus immaturus sensu latiori vel subito vel sensim sensimque procedit, quod quidem a periodo, in qua occurrit, dependere consuevit. Partus immaturus usque ad mensis lunaris tertii finem exoriens seu abortus, quem equidem dico,

16) v. v. Siebold l. c.

fere semper tardius progreditur ob maiorem membranae uteri deciduae crassitiem et firmiorem ovi coniunctionem cum ambitu uteri interno, quamobrem etiam hoc tempore abortus gravissimis doloribus periculosissimisque stipatur haemorrhagiis 17). — Quo magis ad exitum properat graviditas, eo facilius partus immaturus sequitur, siquidem in dies coniunctio foetus cum utero laxior evadit. — Ast vero in causas est respiciendum, an magis minusve fuerint violentae, quippe quibus fit, ut vel subito vel pedetentim partus immaturus procedat. — Phaenomena abortum praecedentia sunt: gravitas, lassitudo, rigor, horror artuum, totius corporis, imprimis vero frigus partium genitalium, aestu fugace exceptum, sensus oppressionis, plenitudinis, gravitas atque tendor abdominis insolitus, vehementissimis coniunctus doloribus circa regionem inguinalem et lumbarem, dolores capitis, vertigo saepius recurrens, syncope, noctes insomnes, terrificis turbatae somniis, pallor faciei, oculi turbidi, interdum luridis circumdati orbiculis, appetitus ciborum prostratus, lingua muco obtecta, odor gravis

17) v. v. Siebold l. c.

atque foetidus oris, extensio mammarum minuta. (Hippocrat. 18). Tum etiam pressio vesicae animadvertitur urinariae, quam ob rem desiderium ingens mingendi. Exploratio etiam interna, lege artis instituta, docet, portionem uteri vaginalem magis desedisse; dolores accedunt conquassantes, os uteri internum dilatatur membranaeque ovi aut partes foetus ipsius distincte sentiuntur. Deinde vel effluxio liquoris amnii, vel humoris mucosi, interdum odore gravi atque foetido praediti, vel, quod semper pessimum est, sanguinis ex utero stillicidium, paullo post, praeprimis in abortu, in metrorrhagiam transiens profusam, oboritur, letalemque fere semper inducit exitum. — Non semper vero recensita occurrunt signa, sed nonnullis mulieribus, iam ad abortum opportunis, idem saepe citra ullum incommodum accidere, fertur.

§. IV.

Praesagia quaedam circa abortum.

Abortus fere semper maiori cum periculo est coniunctus, quam partus naturalis. Quo saepius

---

18) v. Hippocratis Aphor. sect. V. 36. „mulieri utero

mulier iam abortum passa est, eo facilius iterum patietur, nam recidivae sunt faciles, e quibus resultant cachexia, sterilitas, mensium ataxiae, fluor albus, malum hystericum, uteri exulcerationes, excrescentiae fungosae, carcinomata, hydrops, prolapsus uteri, melancholia, mania tandemque mors. Partus immaturus mensibus primis graviditatis incidens, seu abortus, semper periculosissimus, nam haemorrhagia uteri gravior foetus expulsionem plerumque comitatur. — In primipara abortus periculosior; abortus vero, e plethora natus, minus est damnosus. — Vice versa, si debilitas aut febris intermittens ansam praebuerunt, prognosis nunquam non mala. — In multis feminis abortus inevitabilis, si iniuriae externae gravidam offenderunt vehementissimae, si os uteri hiat, si placenta cum ovo iam soluta, foetusque mortuus est. — Si vitia uteri organica adsunt, e. g. cicatrices uteri, reliquiae membranarum ovi, porro si pelvis deformis, prognosis pessima. — Iure periculosissimum habemus abortum metrorrhagiam-

---

gerenti, si mammae derepente gracilescant, abortit. et a. l. „quae abortum facturae sunt, iis mammae extenuantur."

que, medicaminibus exortam pellentibus, nam ubi sanguis iam copiosius profluxit, abortus nulla ratione potest impediri. — Haemorrhagia uteri interna s. occulta periculosior est externa; periculosissima vero post partum a paralysi uteri orta. Convulsiones etiam ex metrorrhagia natae, periculosissimae. — Pereunt abortientes matres, teste iam Hippocrate 19), quoque graviore decumbentes morbo acuto: „mulierem utero gerentem morbo quopiam acuto corripi, lethale.“ — Eodem, quo semel tempore gravidam abortus supervenit, redire solet, quod saepissime tertio graviditatis mense, eo quidem tempore, quo menses apparere consuerunt, evenit. — Prognosis etiam mala, si dispositio ad abortum haereditaria subest.

§. V.

Curatio.

Pro variis causis, abortum excitantibus, curatio etiam differt. Cardo curationis in tribus potissimum medendi indicationibus vertitur:

---

19) v. Hippocratis aphor. sest. V. 29.

I. ut abortui occurratur, si mulier praegnans iam semel aut saepius eum passa est.

II. ut abortus iam coeptus avertatur, quod, nisi efficere possimus, ut periculum, cum abortu coniunctum, amoveamus.

III. ut recidivis, priusquam femina iterum concipiat, obnitamur,

Quod indicationem primam attinet, gravidae praecepta sunt commendanda sequentia: quies corporis et animi securitas cubitusque vel in lecto vel in toro horizontalis, quam ob rem agitationes corporis animique perturbationes, nec minus coitus per aliquot menses, quo tempore menstrua iuxta typum profundi solebant legitimum, inprimis autem circa illud tempus, quo abortus iam occurrebat, exactissime vitanda sunt. Qua re mulieri abortum timenti suadendum est, ut conceptionis tempus memoria bene teneat, et, si graviditas constat, coitu abstineat. Mulier praegnans omnes imi ventris compressiones evitet, nec minus ea prohibeat, quae animi perturbationes, affectus, refrigerium aestumque provocant; victus idoneus sit, quod ad cibos et potus attinet. —

Quodsi constitutio gravidae irritabilis valdeque plethorica est, timeri oportet, ne permagna

plethora causam abortus suppeditet. Omnia, vim vasorum augentia sanguiferorum, hic sunt evitanda, e. g. cibi potusque stimulantes, excitantes; contra cibi e vegetabilium numero potusque refrigerantes, liquores diluentes sunt commendandi. Vis vasorum sanguiferorum, si permagna, si pulsus plenus, duriusculus, si facies malaeque rubrae, imprimis eo tempore, quo antea menses provenire solebant, vena est aperienda, sed summa cum prudentia. Quin etiam interdum necessitas incidere potest, ut missionem sanguinis saepius e. g. quaternis hebdomadibus, sed semper parciorem repetamus. — Prae ceteris vero venaesectione evacuationeque sanguinis topica et hirudinibus et cucurbitis est utendum, si febris inflammatoria, ex plethora, ex congestionibus, ex abortivis medicamentis orta, gravidam invasit. Quod si evenit, non aliis nisi phlogosin extinguentibus medicamentis curatio institui debet. Hinc kali nitricum, tartarum depuratum aliaque salia neutra, magnoque cum fructu, acida vegetabilia, v.g. acidum citrium, acidum aceticum etc. exhihere licet,

Si causa abortus ex debilitate corporis permagna profluxit, qua inprimis systema laborat

reproductivum et vis foetus vitalis frangitur, remedia adhibenda sunt, vim systematis reproductivi evehentia e. g. herb. trifol. fibr., fol. aurantiorum, rad. gentianae, cort. cinnamomi, cort. chinae, lignum quassiae, extracta amara etc. Quibuscum remediis nutrientia coniungamus esculenta, porrigamus rad. salep cum vino. Tum praegnanti quotidianas corporis exercitationes sub divo praecipiamus idque operam demus, ut eius animum exhilaremus, vitam iucundiorem efficiamus omnesque praeterea, quas supra memoravi, causas, debilitatem provocantes eique faventes, amoveamus.

Ubi partus immaturus ob pubertatem nondum excultam vel exiguam praegnantis evolutionem factus est, artis praesidia parum valent. Hisce mulierculis post abortum quies et abstinentia ab amplexibus venereis per longius temporis intervallum conducit, donec corpori legitima evolutio et firmitas idonea contigerit.

Si abortus causa vel in prolapsu, vel in retroversione uteri est, summa cum prudentia et observatione curatio est instituenda. Quod prolapsum attinet, videndum est, ne pessario utamur, quia praegnantibus pressio infesta; quies situsque

horizontalis, pulvinari natibus subiecto, commendandus et spongia nonnisi molli utenda est ad statuminandum uterum. Si prolapsus est perfectus, fere omnia a tempore dependent, quo medicus in auxilium est vocatus. Utero prolapso necdum inflammato, nec tumefacto, repositio, suspensa autem manu tentetur. Situs parturienti supinus concilietur, ita ut nates paullo elevatiores sint; omnis contentio, praesertim molimina compescendi studium prohibeatur, nec non corpora aliena, ut plumae, pulvis aliaque ab utero prolapso procul arceantur. Dein uterus oleo amygdalarum calido illinatur et secundum artis praecepta, si fieri potest, reponatur. Quod si contingit, summa administretur quies, corpus ad alterutrum cubet latus, tum spongia, oleo uncta, in vaginam demittatur fasciaque T formis superdetur.

Retroversione uteri facta, etiam situm corporis ad latus, urinae atque excrementorum saepius repetitam deiectionem praecipiamus, nec non spongia, ut modo dictum, utamur, necesse est. Hoc modo interdum retroversioni occurritur novae. — Modus excretionem urinae restituendi, variat, vel enim cathetere, vel digitis, vaginae immiesis, peragitur. Attendatur autem, an cathe-

ter facili negotio immittatur, num obstaculo quodam retardetur. Si digitis, vaginae immissis, excretionem urinae praestituri sumus, id est videndum, ut summa cum moderatione corpus collumque uteri a vesica et urethra amoveamus. — Excretio faecum inprimis clysmatibus vel mucilaginosis vel oleosis efficitur; partes hac methodo relaxantur doloresque mitigantur vehementissimi.

Quibus omnibus peractis, ad repositionem procedendum est. Situs feminae tum sit ita dispositus, ut viscera abdominis, quantum fieri potest, uterum non premant; talis ergo sit, ut genibus et cubitis, abdomine deorsum pendulo, innitatur gravida. Quo facto, immittantur duo aut plures digiti in vaginam sub fundo uteri, eorumque ope fundus ipse super promontorium ossis sacri sensim, vi tamen quadam constante, haud determinanda, adhibita attollatur. Si tum successus exspectationem non fallit, uterus vi quadam in pelvim intrat superiorem. — Alii duos digitos in anum, duos alios vaginae immittunt, quibus prioribus fundum super promontorium ossis sacri tollere, posterioribus vero collum uteri detrahere conantur. At hic modus agendi multis premitur difficultatibus, maioresque ciet dolores, et

viris, in arte obstetricia celeberrimis testibus, superfluus est. Repositione plane perfecta, cetera symptomata mox evanescunt, aut si perseverant, secundum ipsorum naturam et rationem tractanda sunt.

Altera indicatio est ea, ut abortum iam coeptum cohibeamus, quod si efficere nequeamus, ut periculum cum abortu coniunctum, suspendamus. — Si, exploratione interna instituta, os uteri paullulum tantum hiare, aquas non effluxisse, ovum aut foetum adhuc vivere, invenimus, sperandum est, fore, ut abortus caveatur. Praeceteris etiam in his exemplis corporis quies et animi tranquillitas situsque horizontalis sunt commendandi. Si autem vis systematis sanguiferi adaucta, si plethora 'permagna, facies si ruberrima atque ardens, si pulsus plenus atque durus apparet, methodus est adhibenda antiphlogistica. Nisi debilitas gravidae ingens deprehenditur, venaesectio, inprimis haemorrhagia imminente, expostulatur. Cucurbitulae etiam, ob derivationem, quam faciunt, peculiarem, mammis sunt opponendae. Cum sanguinis detractione salium neutrorum usum coniungamus; porrigamus nitrum, tartarum depuratum, emulsiones potusque sanguinem refrigeran-

tes, atque praecipue animum ad cubiculum et regimen attendamus frigidiusculum. — Eadem etiam medendi ratione utamur, si iniuriae externae, praegnanti illatae, causam abortus subministrarunt, nam ex his inprimis inflammatio atque haemorrhagia uteri sunt timendae. —

Extrema vero debilitas gravidae, vel causis inducta supra memoratis, enervantibus, vel haemorrhagia, vel venaesectione, praeter necesitatem instituta, abortumque iam coeptum comitans, contrariam postulat curationem. Rebus ita constitutis infusum corticis cinnamomi, hb. melissae, menth. piperitae porrigendum; — porro opium est adhibendum, quocum, deliquio animi imminente, liquorem anodynum, liquorem ammon. succ. aetheresque coniungere licet; — pro potu communi iuscula e carnibus danda sitique urgente acidum Halleri, syrupo quodam commixtum aut aqua cum vitello ovi propinanda sunt. — Abdomen gravidae pannis velari laneis modice calefactis, iubendum, et prae ceteris, uti semper, quies praecipienda est. Quid agendum sit, si haemorrhagia nascatur, in parte secunda huius sectionis explicabimus.

Si sensibilitas adaucta, si dolores vehemen-

tissimi ac spasmi, interdum in trismum abeuntes, gravidam cruciant, remediis utaris antispasmoticis, v. g. opio, castoreo, valeriana, ipecacuanhae dosibus refractis, liquore c. c. succin., infuso chamomillae etc. Quibuscum remediis internis unctiones coniungas abdominis ex linimento volatili cum camphora et tinctura opii s., ex liquore ammonii caustici, ex aetheribus, ex spiritu vini, fomentaque ex infuso chamomillae; porro clysmata, ex eodem infuso parata cum opio et castoreo.

Si causa abortus vel in formatione foetus ipsa est, vel in eius morbis, vel in partibus foetum circumdantibus nutrientibusque, nihil est agendum, quam ut curatio iis, quae proposui, praeceptis, secundum gravidae constitutionem, accomodetur. Plerumque abortus arceri non potest, cum abortu iam facto, causae demum pateant. —

Ast omnia, quae nominavi, medicamina, si nullum afferunt auxilium, ad aliam medendi rationem accingi nos oportet.. — Prae ceteris medicus in abortu dispiciat, ne foetus vel ovi exclusionem manu praestet, siquidem spatium uteri internum adhuc angustius est. Omnia naturae committat ac inprimis curet, ut ovum expellatur integrum et hoc modo uteri haemorrhagiis occur-

ratur. Sed saepius medicus haemorrhagiam compescere frustra conatur. Periculum ex hac redundans maximum est. Medicus semper, si haemorrhagia copiosior, exploret: an fortasse ovi reliquiae adsint, metrorrhagiam alentes. Si haec rerum conditio adest, reliquiae ovi semper sunt amovendae, quod duplici modo fieri potest, vel manu, vel iniectionibus ex infuso chamomillae, quod postea, si reliquiae putrescunt, cum infuso permutandum est ex decocto chinae cum tinctura myrrhae. Sed manus auxilio summa cum cautione ac tum demum uti oportet, si os uteri adeo patet ovique reliquiae ita collocatae sunt, ut facillime per hanc encheiresin subduci possint. —

Quod curationem metrorrhagiae attinet, semper in eius characterem est respiciendum, num sit sthenicus an asthenicus. Unum quidem, iam saepius memoratum, perpetuum est in metrorrhagia, sive sit sthenica sive asthenica, nempe, ut quies et corporis et animi, situsque horizontalis et cubiculum frigidiusculum comparentur. Si haemorrhagia uteri characterem synochae prae se gerit, v. g. si mulierem iuvenilem robustam cruciat, methodus anthiphlogistica, nisi sanguis copiosissime iam effluxerit, semper est adhibenda. Vena

itaque, quamqusm caute, in bracchio est incidenda, ut sanguis ab utero deducatur. Intus refrigerantia, salia neutra antiphlogistica, emulsiones refrigerantes, acida vegetabilia etc. exhibenda sunt. Hic maxime etiam spongiae prosunt, vino et aqua madefactae frigida, vel pulvere conspersae styptico et in vaginam demissae. — Laxantia fugias aut maxima cum observatione iis utaris, nam congestionem efficiunt novam, abortumque, praesertim corpore sensiliari, promovent. Omnia, quae gravidae sint irritamento, removeantur; diaeta his omnibus respondeat. Quae regulae etiam observentur, necesse est, si haemorrhagia cessat, ne fiat recidiva, et vix expugnabilis. — Si copia vero sanguinis effusi est permagna, vel si character sthenicus transit in asthenicum, typhosum, paralyticum, alia desideratur medela. Haemorrhagia eiusmodi est periculossima; quaevis gutta sanguinis effusa periculum auget. Hinc remediis excitantibus, roborantibus, adtispasmodicis et adstringentibus uti oportet. Porrigamus inprimis opium, castoreum, essentiam castorei, tincturam cinnamomi, acidum Halleri, chinam, ipecacuanhae doses exiguas cum cortice cinnamoni coniunctas, spiritum nitri dulcem etc. Neque minus ad ex-

terna confugiamus remedia, v. g. ad fomentationes abdominis mediocriter calidas ex infuso chamomillae et ad adoramenta liquida. Metrorrhagia paralyseos indolem habente, fere omnia medicamina usu destituuntur salutari. Plerumque hic status paullo ante mortem incursat. Sola spes in usu omnium remediorum, tam excitantium quam roborantium, posita est. Nihilominus saepissime mulieres intereunt. In quave metrorrhagia, tam sthenica quam asthenica semper memor esto, vires gravidae roborandas esse, id, quod iusculo carnis fieri potest,

Indicatio tertia id agere debet, ut recidivis occurramus, priusquam femina iterum concipiat. Medicus morbosam corporis indolem seu causam prioris abortus investigare et ad normam reducere, studeat. Quod si effici posse videtur, tempus ante novam conceptionem opportunissimum est. Inprimis feminae est suadendum, ut, praecipue, quo tempore menses vel appropinquant vel nuper effluxerunt, coitu abstineat. Si constitutio mulieris est plethorica, omnem corporis aestum evitet, nec minus cibos potusque excitantes: e contrario commendanda sunt: diaeta vegetabilis aqua pro potu communi, moderatio pathematum

animi, aër purus et frigidiusculus, somnusque brevis, inprimis tempore matutino. Post haec, mensibus nonnullis interpositis, femina coitum iterum sed modice exerceat. Si coitus tempor adstringebatur fixo, mittatur haec consuetudo, tempus ad coitum deligatur matutinum, contra autem post coenam atque sub vesperam abstineatur; nunquam ille iterum atque iterum vel interdiu vel noctu exerceatur, multomagis spatium intersit dierum nonnullorum et quam primum se concepisse gravida sentiat, omnino coitum eiuret. —

Si debilitas extrema prioris abortus causam continet, medicus exploret, an fortasse morbi feminam divexent, debilitatem alentes, e. g. lues venerea, fluor albus, haemorrhagiae, menses nimii, hysteria, epilepsia, diarrhoea chronica etc.

Remedia iam supra commendata, uno vel altero horum morborum lege artis curato, hic sunt adhibenda, quibus insuper ferrum adiicio. — Extrinsecus fomentationes aromaticae circa abdomen applicari possunt, infrictiones unguentorum excitantium, balnea calida ex herbis aromaticis, balnea ex ferro, vel naturalia vel artificialia. — Si femina vel hysterismo vel spasmis laborat, ad asam foetidam confugias, ad valerianam, ad castoreum

etc. Multi auctores mulierculis hystericis, arbortum passis, etiam zinci usum commendant. —

Si abortus ratio in pelvi iusto ampliori cernitur, inter graviditatem sequentem summam commendes animi securitatem, omnesque interdicas agitationes corporis, inprimis vero pressum ventris infimi, e. g. per fascias; porro curam habeas, ut faeces et urina haud difficulter excernantur. Rebus ita constitutis, summa cum utilitate quoque spongia in vaginam immittitur ad uterum statuminandum. —

Si methodum, quam praescripsi, mulier sequitur, si inprimis a coniugalibus per aliquod tempus voluptatibus abstinet, contingere potest, ut utero prolem absque ullo gerat damno eamque felici edat partu.

CURRICULUM VITAE

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

BEROLINENSIS

ADIECTUM.

Anno 1798 Soltwedelii, Palaeomarchiae urbis natus sum patre optimo Samuelo, Alexandro, ibidem magistratu secundo, cuius praematuram mortem, dum vivam lugebo, et matre dilectissima, Henrica, e gente Türschiana. — Hic gymnasium t. t. sub Cel. Rectore Solbrig florentem, frequentavi, ubi me ab doct. Viris Oldecop, Woltersdorff, Loesener, Danneil, Agricola, nec non ab aliis meritissimis edoctum fuisse, grata mente recordor. Cursu hoc peracto et examine rite absoluto, vere 1819 Berolinum me contuli, ubi in alma universitate a Cel. Weiss t. t. Rectore magnifico, d. XXI. mens. Aprilis civibus academicis, nec non ab Ill. Berends, ordinis grat. medicor. t. t. decano, medicae facultatis ordini adscriptus, per quinquennium prope in utramque medicinam studio incubui. — Hoc per tempus hisce interfui praelectionibus virorum illustrium et celeberrimorum:

in botanice, historia naturali ac pharmacologia Ill. Link; in osteologia, splanchnologia, syndesmologia, in medicina forensi et in arte: formulas medicas concinnandi Ill. Knape; in anatomia, tam humana quam comparata, in encyclopaedia et methodologia medica, in entozoologia, in sensuum organorum anatomia et in physiologia Ill. Rudolphi; in anatomia cerebri Cel. Rosenthal; qui viri doctissimi et celeberrimi rationem etiam, cadavera secandi me docuere; in chemia Ill. Hermbstedt; in physicis Cel. Turte; in interpretationibus Celsi Cel. Hecker; in pathologia generali Cel. Hufeland et Exp. Boehr; in therapia speciali Perill. Hufeland; in pathologia et therapia speciali, in morbis militum, uti etiam in morbis syphiliticis, Ill. Horn; in chirurgia generali et speciali, nec minus in akiurgia Ill. Rust, in materia medica Cel. Osann; in chirurgia generali, in doctrina de arte obstetricia, et theoretica et practica, nec minus in doctrina de luxationibus et fracturis Cel. Kluge; in exercitationibus obstetriciis, manu in phantomate faciendis Ill. de Siebold; in cognoscendis et curandis oculorum morbis, nec minus privata institutione in operationibus oculi humani, tum in akologia Exp. Jüngken.

Tum studio medicinae et chirurgiae incubui in clinicis medicis et chirurgicis, ducibus virorum perillustrium: Hufeland, Berends, Neumann, Graefe, Rust. Quibus omnibus viris excellentissimis ob singulare, quod in me etiam posuere studium maximas ago gratias maioresque habebo.

Tentamine et examine rigoroso coram Decano maxime spectabili et gratiosa medicorum facultate rite superatis, spero, fore, ut, dissertatione hac thesibusque publice defensis, summi in utraque medicina honores mihi concedantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Artereotomia non est reiicienda.

II.

Vis naturae medicatrix negari nequit.

III.

Opinio beati Marci: tussim convulsivam atque bronchitidem unum eundemque morbum esse, falsa est.

IV.

Hymenis defectio non est signum certum virginis venerem expertae.